

## Ferienprogramm IV (17. August 09)

**1. Informieren Sie sich**

- über Ovids *Fasti*.
- Lesen Sie (spätestens jetzt ...) unbedingt auf Deutsch: Livius 1,57-60.

**2. Latein-Deutsch:**

- Wiederholen Sie den Inhalt der bisher übersetzten Passagen.
- Übersetzen Sie die Erzählung aus Ovids Fasti.

**3. Deutsch-Latein:**

- Informieren Sie sich über Pompeius (und merken Sie sich das Wichtigste) und über Ciceros Rede *De imperio Gnaei Pompei!*
- Analysieren Sie die unten abgedruckte Passage aus Cicero (da kommt gleich am Anfang viel Interessantes vor: nd-Formen – utinam – Gen. part. – Rel.satz im Konj. ...).
- Machen Sie wieder mindestens drei Übungen in „moodle“

*Ovid, Fasti 2,685-690; 721-774*

Nunc mihi dicenda est regis fuga. traxit ab illa	der 24. Februar
sextus ab extremo nomina mense dies.	
ultima Tarquinius Romanae gentis habebat	
regna, vir iniustus, fortis ad arma tamen.	
ceperat hic alias, alias everterat urbes,	
et Gabios turpi fecerat arte suos.	die Stadt Gabii
[...]	
cingitur interea Romanis Ardea signis	die Stadt Ardea
et patitur longas obsidione moras.	
dum vacat et metuunt hostes committere pugnam,	hostes: die Bewohner von Ardea
luditur in castris, otia miles agit.	
Tarquinius iuvenis socios dapibusque meroque	
accipit; ex illis rege creatus ait:	
«dum nos sollicitos pigro tenet Ardua bello	
nec sinit ad patrios arma referre deos,	
ecquid in officio torus est socialis? et ecquid	
coniugibus nostris mutua cura sumus?”	
quisque suam laudat: studiis certamina crescent,	
et fervet multo linguaque corque mero.	
surgit, cui dederat clarum Collatia nomen:	Collatinus, der die Stadt Collatia eingenommen hat
„non opus est verbis, credite rebus“ ait.	
„nox superest: tollamur equis urbemque petamus”;	
dicta placent, frenis impediuntur equi.	
pertulerant dominos. regalia protinus illi	

tecta petunt: custos in fore nullus erat.  
 ecce nurum regis fusis per colla coronis  
     inveniunt posito pervigilare mero.  
 inde cito passu petitur Lucretia, cuius  
     ante torum calathi lanaque mollis erat.  
 lumen ad exiguum famulae data pensa trahebant;  
     inter quas tenui sic ait illa sono:  
     “mittenda est domino (nunc, nunc properate, puellae)  
         quamprimum nostra facta lacerna manu.  
     quid tamen auditis (nam plura audire potestis)?  
         quantum de bello dicitur esse super?  
 postmodo victa cades: melioribus, Ardea, restas,  
     improba, quae noscere cogis abesse viros.  
 sint tantum reduces! sed enim temerarius ille  
     est meus et stricto qualibet ense ruit.”  
 mens abit et morior, quotiens pugnantis imago  
     me subit, et gelidum pectora frigus habet.»  
 desinit in lacrimas inceptaque fila remisit,  
     in gremio voltum depositique suum.  
 hoc ipsum decuit: lacrimae decuere pudicam,  
     et facies animo dignaque parque fuit.  
 «pone metum, veni» coniunx ait; illa revixit,  
     deque viri collo dulce pependit onus.  
 interea iuvenis furiales regius ignes  
     concipit et caeco raptus amore furi.  
 forma placet niveusque color flavique capilli  
     quiique aderat nulla factus ab arte decor:  
 verba placent et vox et quod corrumpere non est;  
     quoque minor spes est, hoc magis ille cupit.  
 iam dederat cantus lucis praenuntius ales,  
     cum referunt iuvenes in sua castra pedem.  
 carpitur attonitos absentis imagine sensus  
     ille; recordanti plura magisque placent.  
 sic sedit, sic culta fuit, sic stamina nevit,  
     iniectae collo sic iacuere comae,  
 hos habuit voltus, haec illi verba fuerunt,  
     hic color, haec facies, hic decor oris erat.

Apostrophe

**Deutsch-Latein: Cic. imp. Pomp. 27-31**

(§27) Restat ut de imperatore ad id bellum deligendo ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur. Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis, ut haec vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello praeficiendum putaretis! Nunc vero – cum sit unus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum qui nunc sunt gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit – quae res est quae cuiusquam animum in hac causa dubium facere possit?

(28) Ego enim sic existimo, in summo imperatore quattuor has res inesse oportere, – scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior umquam aut fuit aut esse debuit? qui e ludo atque e pueritiae disciplinis bello maximo atque acerrimis hostibus ad patris exercitum atque in militiae disciplinam profectus est; qui extrema pueritia miles in exercitu fuit summi imperatoris, ineunte adulescentia maximi ipse exercitus imperator; qui saepius cum hoste conflixit quam quisquam cum inimico concertavit, plura bello gessit quam ceteri legerunt, plures provincias confecit quam alii concupiverunt; cuius adulescentia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis sed suis imperiis, non offensionibus belli sed victoriis, non stipendiis sed triumphis est erudita. Quod denique genus esse belli potest, in quo illum non exercuerit fortuna rei publicae? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, servile, navale bellum, varia et diversa genera et bellorum et hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant in usu positam militari, quae huius viri scientiam fugere possit.

(29) iam vero virtuti Cn. Pompei quae potest oratio par inveniri? Quid est quod quisquam aut illo dignum aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit adferre? Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoria, quae volgo existimantur – labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt.

(30) Testis est Italia, quam ille ipse victor L. Sulla huius virtute et subsidio confessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli, sed consili celeritate explicavit. Testis est Africa, quae, magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris iter in Hispaniam Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostis ab hoc superatos prostratosque conspexit. Testis est iterum et saepius Italia, quae cum servili bello taetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum exspectatione eius attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum.

(31) Testes nunc vero iam omnes orae atque omnes exteræ gentes ac nationes, denique maria omnia cum universa, tum in singulis oris omnes sinus at portus. Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset, aut tam fuit abditus ut lateret? Quis navigavit qui non se aut mortis aut servitutis periculo committeret, cum aut hieme aut referto praedonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque dispersum, quis umquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse?